



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1845

DCXXIII. König Christof von Dänemark entscheidet die Uneinigkeiten über
die Vogteien Liebenwalde, Stolpe und Jagow, welche zwischen dem
Markgrafen Ludwig von Brandenburg und dem Fürsten Heinrich von ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56193)

Jura, proprietates, possessiones, libertates, Gracias, approbatas consuetudines, donationes atque immunitates, quibus uos et ciuitas muniti ac adornati estis, Insuper omnia priuilegia, litteras et instrumenta, uobis et Ciuitati per nostros antecessores marchiones clare memorie super Juribus, proprietatibus, possessionibus, libertatibus, Graciis, donationibus, immunitatibus nec non super quibuscunque contractibus uestris concessa, prout hec uobis ac ciuitati rite concessa sunt, approbamus, ratificamus, nec non presentis pagine patrocinio solempniter confirmamus. Testes uero presentes fuerunt huic nostre confirmationi spectabilis vir dominus Bertholdus Comes de Hennenberg, Nobilis vir dominus Guntherus Comes in Lyndow, honorabilis vir dominus Segerus prepositus Stendaliensis nostre curie Prothonotarius, famosus vir Bertholdus de Bufec miles noster cum aliis fide dignis. In cuius rei testimonium nostrum sigillum de nostra certa sciencia est appensum. Datum Berlin, Anno Domini M^o. CCC^o. XXIII^o, dominica post diem Sancti Martini, in nostra presencia, per manum Her. de Luchowe.

Wille's Ticemannus Cod. dipl. p. 226. 27.

Anmerk. Eine gleichlautende Urkunde befindet sich im Archive der Stadt Luckau und schließt mit den Worten: Datum Berlin a. d. MCCCXXIV. dominica post diem S. Martini. Presentes fuerunt spectabilis vir dominus Bertoldus comes de Hennenberg, nobilis vir dominus Güntherus comes in Lyndowe, Honorabilis vir dominus Seger prepositus Stendaliensis, famosus vir Bertoldus de butzt miles. Nach Worb's Invent. dipl. Luf. infer. 138.

DCXXIII. König Christof von Dänemark entscheidet die Uneinigkeiten über die Vogteien Liebenwalde, Stolpe und Jagow, welche zwischen dem Markgrafen Ludwig von Brandenburg und dem Fürsten Heinrich von Mecklenburg stattgefunden haben, und spricht dieselben dem erstern zu, am 27. Dezember 1324.

Omnibus presentes literas visuris et auditoris Christoferus, dei gratia danorum Sclauorumque rex, dux estonie, salutem in domino sempiternam, notum facimus uniuersis, quod magne discrecionis dominus, dominus B. Comes de henninberg ex parte magnificorum principum dominorum Ludouici, dei gratia regis romanorum semper augusti, et Ludouici, marchionis brandenburgensis, eiusdem domini Ludouici regis romanorum primogeniti, cuius marchionis brandenburgensis idem dominus B. Comes de henninberg tutor exstat et defensor, auctoritate plenaria eidem comiti a predictis principibus, dominis Ludouico rege romanorum et Ludouico eiusdem filio marchione Brandenburgense, in hac parte data et concessa, et nobilis vir dominus heinricus dominus Magnopolensis ex parte sua propria, in nos tanquam in arbitrum, super aduocatiis Lyuenwold, stolpe et Jagowe cum castris, munitiombus, ciuitatibus, villis, opidis,

hominibus, districtibus, clericis, juribus et ceteris eorundem pertinentiis uniuersis per apertas literas utrorumque compromiserunt, nobis plenam et integram conferentes potestatem, ipsos principes dominum Ludouicum regem romanorum et Ludouicum, eiusdem filium marchionem brandenburgensem, ac h. dominum magnopolensem antedictum super eisdem aduocatiis et earundem singulis pertinentiis concordandi in iusticia vel amore, ratum et gratum habituri ex utraque parte, quicquid per nos actum seu gestum in iusticia vel amore inter eos fieret in premissis, prout in dictis literis eorundem apertis super hoc confectis plenius continetur. Nos vero Christoferus rex magno tempore cum summa diligentia attemptauimus, eosdem principes dominos Ludouicum romanorum regem et Ludouicum marchionem brandenburgensem ac henricum dominum magnopolensem in amicitia concordare. Quod cum perficere et terminare nequimus nullam amicitiam inter ipsos, pronuntiauius promulgando, sed maturo consilio principum, comitum, baronum, militum et uasallorum tam nostrorum quam aliorum, copiosa multitudine presente, usi et plenius informati, cum idem h. magnopolensis dominus sepius per nos ammonitus et requisitus, ut nobis iustitiam suam, si quam haberet super predictis aduocatiis et earundem pertinentiis, *) ostenderet declarando, quod idem dominus h. magnopolensis nec per se nec per alium suo nomine facere curauit, inter partes sepius dictas super eisdem aduocatiis et earundem pertinentiis uniuersis iustitiam pronuntiauius et pronuntiamus in hunc modum: Ex quo quod predictus dominus magnopolensis nec per apertas literas dictorum principum dominorum Ludouici romanorum regis, ad quem dicte aduocatie cum toto marchionatu brandenburgensi post obitum quorundam dominorum marchionum brandenburgensium totaliter sunt deuolute, vel Ludouici nunc marchionis brandenburgensis, cui domino Ludouico marchioni brandenburgensi et suis liberis idem dominus rex romanorum prefatas aduocatas cum toto marchionatu contulit iure perpetuo possidendas, nec per aliqua alia legitima docere poterit documenta, prelibatas aduocatas sibi per eosdem principes, dominum Ludouicum romanorum regem et Ludouicum Marchionem, eiusdem filium, aliquo pignoris tytulo seu aliquo alio iusto tytulo commissas fuisse aut esse traditas quomodolibet et assignatas, quod idem dominus h. magnopolensis predictas aduocatas cum castris, municionibus, villis, opidis, hominibus, clericis, districtibus, proprietatibus, iuribus, iurisdictionibus, omagiis, feodis, theloneis ac singulis aliis earundem pertinentiis, quocunque nomine censeantur, ipsi domino Ludouico marchioni brandenburgensi restituere debet, et cedere in eisdem quicquid equidem dictus dominus h. magnopolensis de ipsis leuauerat, perceperat minus iuste, ac quod antedictus dominus marchio Brandenburgensis dictas aduocatas cum ipsarum pertinentiis omnibus, ut premittitur, prout dominus woldemarus, quondam marchio brandenburgensis, ipsas in sua possessione liberius habuit, habeat, possideat et eisdem libere utatur, juxta sue beneplacitum voluntatis. Quod prefatis principibus, comitibus, baronibus, militibus, ac uasallis ac nobis iustum fore uidebatur et uidetur

*) Gercken hat hier mehrere in dem Copialbuche punctirte Worte, die mithin für ausgestrichen zu achten, in den Text aufgenommen und dadurch die größte Unverständlichkeit der Urkunde in seinem Abdrucke zuwege gebracht.

consonum rationi. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Actum et Datum worthingburch, anno incarnationis domini M^o. CCC^o. XXIII^{to}. die beati Johannis apostoli et Ewangeliste.

Nach dem Copialbuche des Geh. Kab. Archives I, C. 4, in quarto Bl. 45. Sehr fehlerhaft abgedruckt in Gerdens Codex dipl. Brandb. I, 222 — 224.

DCXXIV. Antwort des Papstes Johann XXII. an den Fürsten Heinrich von Meissenburg auf dessen Bitte, ihn mit der Mark Brandenburg zu belehnen, vom 20. Februar 1325.

Johannes XXII. Dilecto filio nobili Viro henrico, Magnopolensis, Stargardie et Rostok domino. Tue nobilitatis litteris, missis nobis per dilectum filium hellebertum de Wisbek, canonicum Zuerinensem, sub uerbo delegate credentie, solita benig-
nitate receptis, habuit uerbali eius assertio, nichilominus et in scriptis pro parte tua nobis oblata petitio effectualiter continebat, ut cum magnam partem Marchionatus Brandenburgensis obtineas, tam ex infeudatione uenerabilis fratris nostri, quam nonnullorum nobilium ac Uniuersitatum quarumdam Ciuitatum seu locorum Marchionatus eiusdem, qui te ad ipsorum defensionem, ut asseris, euocarunt, ut ex hoc factus de potente potentior ad obuiandum et resistendum Ludouici, Ducis Bauaurie, iniuriis illicitisque conatibus, tanquam deuotus eiusdem Ecclesie filius te disponas, Marchionatum ipsum tibi et successoribus tuis infeudare atque concedere de auctoritate et benignitate Sedis apostolice dignemur. Sane quamuis, prout ex tue generositatis ac probitatis deuotione subponimus nobis insinuata, perseueranter illa perducere cupias in effectum, super quibus nobilitatem tuam multipliciter in Domino commendamus, tamen cum nobis non constet, quid et qualiter obtineas in marchionatu predicto, et an hec procedant de beneplacito prefati archiepiscopi, et aliorum nostrorum et eiusdem sancte Romane Ecclesie deuotorum, a quibus obtineas supradicta, ad presentem nequimus, certitudinis maturitate seruata dicte Sedis in talibus, bono modo concedere, quod petisti; sed si cures de premissis certos nos reddere, nos per consequens super hoc, tantum auctore Domino faciemus, quod quantum nobis cum Deo licuerit inde merito poteris contentari. Quocirca nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatinus in hijs, que honorem nostrum ac fauorem dicte Sedis ac eiusdem sancte Romane Ecclesie sapiunt, sic ut speramus te dirigas de bono semper in melius et conformes, quod in predictis et alijs beneuolentiam nostram et Sedis eiusdem operis et perseuerantie meritis probabiliter merearis. Et quoniam de processibus nostris contra prefatum Ludouicum habitis, sicut Nuncius tuus prefatus nobis exposuit, certior effici cupiebas, ecce quod processum nouissimum, in quo resumuntur generaliter precedentes, per eundem Nuncium tue Magnitudini prouidimus destinandum, quem publicari et obseruari procure, ubi uideris expedire. Datum auinione, X. Kalendas Martij, anno Nono.

Nach einer Abschrift aus dem Vaticanischen Geh. Archive Ex regesto litterarum secretarum Joann. XXII. Anni. IX. Ep. 363. p. 46. T. V.